Salomoni filio suo commisit in eodem loco aedificare templum. De his habes 2. Reg. XXIV. et 1. paralip. XXI. et manifestius 2. Paral. III.

Sed hic incidit quaestio, quamvis extra propositum evagatorii nostri, et est illa: quare Dominus locum illum non nominatim expressit, ut, sicut dixit: perges ad locum, quem Dominus elegerit, et ibi offeres; dixisset: perges in Jerusalem ad montem Moria, quem elegit ad sacrificia. Respondeo, hoc factum est propter tria. Primo, ne gentes appropriarent sibi locum. Nam si fuisset auditum in gentibus nomen loci, statim ibi templa et fana construxissent, nec dubium, si Jebusaeus aream suam scivisset esse a Domino coeli nominatim electam, eam nullatenus ipsi David vendidisset, vel si vendere voluisset, non nisi pro maxima auri summa eam dedisset. Secundo, ne gentes incredulae et infideles locum hunc magis dehonestarent et in Dei contemtum foedarent. Tertio, et ratio melior, ne filii Israel pro loco illo certarent et quaelibet tribus conaretur sortem habere in termino illius loci et propter hoc contentiones facerent in terrae divisione. Josua enim, distributor terrae sanctae, si locum electum scivisset, nequaquam possessionem in monte Ephraim accepisset, sed montem Syon, cui adhaeret mons templi, pro se elegisset. Et si suis temporibus cantum illum audivisset psalmisticum: Repulit Dominus tabernaculum Sylon et tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Juda, montem Syon, quem dilexit, non utique fecisset partem suam deteriorem eligendo, quem Dominus repulit. Si ergo locus expressus nomine fuisset, intolerabilis contentio in tribubus exorta fuisset, et si non pro loco, tamen pro vicinitate loci, sicut videmus, quod homines libentius morantur in domibus prope ecclesiam, ut sine labore et fatigatione ad eam transeant. Nec tribus Ruben, Gad et dimidia Manassis elegissent possessionem trans Jordanem, si distantiam tantam inter se et templum aedificandum scivissent. Et ideo non fuit locus demonstratus, nec templum aedificatum, quousque esset rex potens, qui posset litigia compescere, et remotiores ad visitationem templi compellere etc. Aliud dubium incidit: quare in Veteri Testamento non fuit nisi ille unicus locus designatus pro templo et sacrificiis, et in Novo in omni angulo

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;